



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

fati, nomine procuratorio quo supra, confirmamus, & etiam approbamus subtractionem obedientiae dudum factam in Perpiniano domino papae Benedicto decimoterio, per felicis memorie dominum Ferdinandum Aragonum & Siciliae regem, nomine serenissimi regis Castellae & Legionis domini nostri, & per suas literas, sicut in eisdem latius continetur: etiam ex superabundanti cautela eam nomine quo supra de novo facimus, sicut in dictis literis continetur, & alio meliori & firmiori modo, quo fieri potest & debet, de quo offerimus literas praefati domini regis & matris in valida & expedienti forma datus. Deinde dominus Petrus de Grado, unus etiam de ambasatoribus regis Castellae & Legionis predicti, quamdam schedulam subtractionis obedientiae per praefatum regem dicto Benedicto in Castella * factam, in vulgari Castellano ^{*f. fata,} scriptam, publice legit. Et quia a multis non intelligebatur, praesentibus igitur non est inserta. Deinde frater Ludouicus praefatus solenniter fecit collationem: & facta collatione, pro complemento huius sessionis reuerendissimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus Missam de Spiritu sancto celebrauit.

Præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis, dominis Ioanne Ostiensi, de Vrsinis, Bononiensi, Venetiarum, Senensi, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentinensi, sancti Marci, de Chalanco, de Fuxo, sancte Romanæ ecclesiæ cardinalibus, ac illustrissimo principe domino Sigismundo Romaniorum & Hungariae &c. rege praefato, illustribusque principibus & dominis Friderico marchione Brandenburgensi, & Ludouico duce de Burga: nec non regum, principum, nobilium, prælatorum, communitatum, vniuersitatum, studiorum ambasatoribus, & aliis Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XXXVI.

ANNO a nativitate Domini millesimo quadringentesimo decimo septimo, die vero Iouis vigesima secunda mensis Iulii, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constatiensi. Pro cuius introductione reuerendissimus pater episcopus Atrebatenensis Missam de sancto Spiritu

ANNO
CHRISTI
1417. celebravit: præsidebatque in eadem sessione dominus re-
uerendissimus episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ eccle-
siae cardinalis & vicecancellarius. Et lectis litanis, aliis-
que deuotis orationibus solitis, dominus Antonius episco-
pus Concordiensis legit quamdam citationem contra Pe-
trum de Luna factam, ad audiendum se priuari, & sen-
tentiam ferri, cuius tenor sequitur.

*Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, venerabilibus fra-
tribus Henrico Feltrensi, Stephano Dolensi, Ioanni Pacensi,
Iacobo Placentino, & Patricio Cortagensi, episcopis, salutem
& omnipotentis Dei benedictionem.*

Frustra iudicium cognoscendo geritur, nisi quod cog-
nitum est, iudicali calculo terminetur. Cum itaque ea-
dem sancta Synodus de meritis causæ inquisitionis pen-
dantis coram eadem sancta Synodo contra Petrum de
Luna, a quibusdam Benedictum decimumtertium nuncupatum, plene cognouerit, & in eadem causa ad omnes
actus & terminos requisitos rite & canonice processe-
rit, decernit & mandat eadem sancta Synodus, eumdem
Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium (vt præ-
mittitur) nuncupatum, citari publice in valuis ecclesiæ
Constantiensis alta & intelligibili voce, dum in eadem
ecclesia diuina * celebrantur officia, & cum affixione
præsentium literarum eisdem valuis, cum de præsenti au-
dientia literarum contradictarum minime teneatur: at-
que citat peremptorie & uno edicto peremptorio pro
omnibus, ad diem Lunæ vigesimamsextam huius mensis
Iulii, ad comparendum in ecclesia Constantiensi mane,
hora qua dicta sancta Synodus sedebit, & sedere consue-
uit, ad audiendum ius & definitiuam sententiam per eam-
dem Synodum proferri & pronuntiari in causa prædicta.
Quocirca paternitatibus vestris eadem sancta Synodus
mandat & committit, quatenus vos aut duo vestrum, vo-
catis ad hoc aliquibus ex notariis & scribis in dicta causa
deputatis, vel aliis, præsentis citationis literas in valuis e-
iusdem ecclesiæ per alterum ex dictis notariis, vobis aut
duobus vestrum præsentibus, publice alta voce & intel-
ligibili legi faciatis, ac eumdem Petrum de Luna, Bene-
dictum decimumtertium (vt præmittitur) nuncupatum,

B b b iij

in forma præmissa citari , literasque præsentes eisdem val-
uis affigi , ita quod citatio huiusmodi veniat in publicam
vocationem , & eidem sacræ Synodo tempore sessionis
proxime futuræ de gestis per vos in præmissis faciatis
relationem fidelem . Datum Constantiæ , præfata Synodo
sedente in dicta Constantiensi ecclesia , vndeclimo Kalen-
das Augusti , anno nativitatis dominicæ millesimo qua-
dringentesimo decimosseptimo .

Lecta autem præscripta citatione , idem dominus An-
tonius adhuc in ambone existens , de mandato sanctæ
Synodi dixit in effectu : Ne propter festum hodiernum ,
quod tamen in corpore iuris minime reperitur , aliqui
dubitarent præsentem diem feriatam esse , tunc ipsa san-
cta Synodus prædicta omnem in præmissis supplet defi-
ctum , si interuenisset . Super huiusmodi lectis & propo-
fitis dominus Ostiensis huiusmodi sessionis præsidens no-
mine Concilii respondit per verbum , Placet .

Quibus sic factis , reuerendi patres Stephanus Dolens-
sis & Henricus Feltensis episcopi , vna cum notariis
præsentis causæ , ad tres ianuas maioris ecclesiæ Constan-
tensis accesserunt , & in ipsarum qualibet supradictam
citationem infra Missarum solennia per Ioannem Guiardi
præsentis causæ notarium alta voce legi fecerunt , di-
ctumque Petrum de Luna , Benedictum decimumter-
tium a quibusdam nuncupatum , iuxta tenorem citatio-
nis citarunt & citari fecerunt .

Lecta vero huiusmodi citatione , vt præmittitur , ipsi
eamdem citationem per bullam triplicatam in qualibet
dictarum portarum vnam affigi per eundem Ioannem
Guardi fecerunt : super quibus lectione & affixe ipsi
commissarii petierunt fieri instrumentum ac instrumen-
ta . Deinde venerabilis vir Petrus de Lomburga licen-
tiatus decretorum , in ambone ad hoc ordinato existens ,
legit decretum sequentis tenoris .

*Decretum cassationis pœnarum factarum per Petrum de Luna ,
vigore cuiusdam constitutionis pro ambasiatoribus
regis Castellæ .*

Sacrosancta generalis Synodus Constantensis in Spi-
ritu sancto legitime congregata , vniuersalem ecclesiam

ANNO
CHRISTI
1417.

ANNO
CHRISTI
1457.

repræsentans, ex certis & iustissimis causis ad hoc eamdem Synodum mouentibus & inducentibus, annullat, irritat atque cassat, irritasque, nullas & cassas esse decernit atque declarat omnes priuationes sive pœnas, aut priuationum sive pœnarum declarationes, per dominum Benedictum decimumtertium in sua obedientia nuncupatum, a die nona mensis * Nouembris anni a nativitate Domini millesimi quadragesimi decimoprimi citra factas, promulgatas, fulminatas, seu pronuntiatas, tam virtute cuiusdam prætentæ constitutionis per eumdem dominum Benedictum dudum promulgatae, sub dato Massiliæ apud sanctum Victorem, decimotertio Kalendas Iunii, pontificatus sui anno decimotertio, quæ incipit: Benedictus episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram & perpetuam rei memoriam. In dierum successus crescente malitia sic videmus mundum, &c. Quam ex quacumque alia causa, occasione, colore, aut ratione priuationis sive pœnae, aut declarationis prædictæ fuerint de beneficiis ecclesiasticis, dignitatibus, feudis, iuribus, statibus, honoribus, sive de quibuscumque aliis rebus temporalibus sive spiritualibus, & de quibuscumque personis regularibus aut secularibus, regibus sive principibus, archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, magistris ordinum, communitatibus, congregationibus, collegiis, vniuersitatibus, & quibuscumque aliis personis laicis, sive ecclesiasticis, omnesque alios processus excommunicationis aut interdicti, sive suspensionis, aut cuiuscumque tenoris sententias super huiusmodi priuationibus aut pœnis factos sive factas, promulgatos seu promulgatas, & omnia inde vel ob id secuta, vna cum eadem constitutione, & eamdem tamquam contrariam & impeditiuam vnionis sanctæ matris ecclesiæ, simili modo irritat atque cassat, & irritas sive irrita esse decernit atque declarat, etiam si super præmissis vel aliquo præmissorum appareant quæcumque literæ sive bullæ sub anteriori data, quæ tamen ante diem prædictum non fuerint plenariae executioni mandatae. Et nihil minus ad cautelam absoluit, & absolutos decernit omnes & singulos supradictos, & quoscumque alios, a prædictis sententiis excommunicationis, suspensionis & interdicti, seu priuationis (si

ANNO
CHRISTI
1417
AD
CENS
1477

quas virtute dictæ constitutionis , vel alias quous modo ex supradictis causis & aliis in prædicta constitutione contentis , contraxerint) nec non omnes processus , tam super proprietate , quam possessione , priuationes etiam beneficiorum quæ possidebant , & collationes de eisdem aliis factas , aut excommunicationis , suspensionis , vel qualcumque alias sententias in , seu contra venerabiles fratres & dilectos ecclesiæ filios Didacum Conchensem episcopum , nobilem virum Ferdinandum Petri de Ayala militem , carissimi ecclesiæ filii Ioannis regis Castellæ & Legionis consiliarios , Ioannem episcopum Pacensem , & Martinum Ferdinandi militem præpositum domicellorum dicti regis Castellæ & Legionis , & religiosum virum fratrem Ferdinandum de Illests ordinis Minorum , eiusdem regis consiliarium , Ferdinandum Martini Segobienensis , & Didacum Ferdinandi Palentinensis , ecclesiarum decanos & decretorum doctores , fratrem Ludouicum de Valle Oleti in theologia magistrum Parisiensem , & Ioannem Ferdinandi de Rupeflore decretorum doctorem , ambasatores & procuratores præfati regis Castellæ , & Petrum Ferdinandi archidiaconum de Grado , in ecclesia Onetensi ipsius regis secretarium , consanguineos & familiares eorum , a die prima mensis Aprilis anno Domini millesimo quadringentesimo * decimoquinto citra factos & promulgatos irritat , cassat , irrita atque cassa esse denuntiat , statuitque & decernit ambasatores prædictos , consanguineos , nec non eorum familiares , &c. perinde ad statum pristinum reducendos , ac si priuationes , collationes , processus & aliæ sententiæ prædictæ minime fuissent latæ , factæ aut promulgatae , etiam si super processibus , priuationibus , aut collationibus vel sententiis prædictis aliquæ literæ vel bullæ appareant sub anteriori data , quæ tamen ante diem prædictam non fuerint in partibus præsentatae , & plenariæ executioni demandatae . Eadem quoque sancta Synodus omnes prouisiones , promotiones & translationes de quibuscumque ecclesiis cathedralibus siue collegiatis , seu ad quascumque ecclesiæ cathedrales siue collegiatas , & generaliter omnes concessiones beneficiorum seu dignitatum quarumcumque , etiam per priuationes dominorum cardinalium sanctarum Romanarum ecclesiæ per

ANNO CHRISTI 1417 per præfatum dominum Benedictum sic (vt præmittitur) nuncupatum factas, aut morte, cessione, vel quoquis alio modo vacantium, omnesque & singulas concessiones, gratias & dispensationes, tam super matrimonii contrahendis, quam etiam super beneficiis, & quibuscumque aliis regibus, principibus aut prælatis, seu etiam quibuscumque aliis personis, communitatibus & collegiis, & generaliter omnia alia per eundem dominum Benedictum sic nuncupatum, infra limites seu dominia aut terras præfati carissimi ecclesiae filii Ioannis regis Castellæ & Legionis subiectas aut subiecta, usque ad diem decimam octauam mensis Iunii tunc currentis acta, concessa & dispensata, quæ per præsens decretum non sint aut fuerint cassata, cassave denuntiata, & super quibus bullæ, seu quæcumque alias literæ ante diem prædictum non fuerint confectæ, præsentatae & executæ, pro bono quietis & pacis laudat, approbat & confirmat, atque approbata & laudata esse declarat: ita tamen, quod per approbationem seu confirmationem prædictas nullum præiudicium fiat carissimo ecclesiae filio Alfonso Aragonum regi illustri, nec ipsius regis matri, vxori aut fratribus, vel familiaribus, siue consiliariis alicuius eorum, nec contra eorum aliquem valeat in iudicio vel extra præfata confirmatio vel approbatio allegari. Vult etiam eadem sancta Synodus atque statuit, quod per præmissa carissimo ecclesiae filio Carolo Nuarra regi, liberisve eius, aut magistro, hospitali & conuentui Rhodi nullum præiudicium generetur: hoc tamen declarato & intellecto, quod si ab aliquibus prælaturis, magisteriis seu magistratibus, dignitatibus vel beneficiis quibuscumque durante schismate fuerint separata, vel alias disgregata aliqua membra, castra, villa, seu alia bona, redditus, prouentus vel emolumenta ac responsiones cameræ, vel alia iura quæcumque, de quibus fuerit aliquibus iam prouisum, vel facta collatio vel infeudatio infra limites, dominia seu terras præfati carissimi ecclesiae filii regis Castellæ supradicti constituta, quin prædicta ipsis prælaturis & magisteriis seu magistratibus, dignitatibus vel beneficiis, vt capiti restitui & redintegrari valeant per Concilium antedictum, & in quacumque parte præiudicaretur alicui de cardinalibus sanctæ Romanæ ecclesiae, di-

Concil. Tom. 29.

Cccc

cta sancta Synodus prouidebit, ut melius expedire videbitur. Per præmissa autem sancta Synodus capitulis Narbonensis non intendit in aliquo contrauenire. Quo decreto lecto, dominus præsidens nomine Synodi respondit per verbum, Placet.

ANNO
CHRISTI
1417.

Super quibus omnibus & singulis præmissis, & eorum quolibet, magister Henricus de Piro promotor & procurator nomine quo supra, & venerabilis vir dominus Ioannes de Rupeflore procuratorio nomine domini Ioannis regis Castellæ & Legionis illustris prædicti, sibi a protonotariis, notariis atque scribis ipsius sanctæ Synodi, ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, & tot quot fuissent necessaria fieri petierunt, & quilibet eorum petiit publicum seu publica instrumenta. Præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis, dominis Joanne Ostiensi, Laudenfi, Hispano, de Vrfinis, Bononiensi, Venetiarum, Senensi, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentino, de Fuxo, de Chalanco, Salutiarum, de Flisco, de Branckasiis, de Columna, & de Comitibus, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, ac illustri principe domino Friderico marchione Brandenburgensi, nec non regum, principum, prælatorum, nobilium, communitatum, vniuersitatum studiorum & collegiorum ambasitoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XXXVII.

DIE vigesimasexta supradieti mensis Iulii, Constantiæ in ecclesia maiori loco solito fuit publica sessio solemniter celebrata, pro cuius introductione reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis presbyter Missam de Spiritu sancto deuotissime celebrauit. Sessioni autem interfuit serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ, &c. rex, cum insigniis regalibus & suis nobilibus in eisdem sibi seruientibus. Præsidebatque sessioni huiusmodi pontificalibus insignitus reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius. Letis deinde litaniis, aliisque orationibus consuetis, sermonique, cuius thema erat, *Justum iudicium iudicate*, per

l. ann. 7.